



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. Cl. De Destructione oppidi Kunnigsberg siti in monte S. Nicolai.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppo de Oserna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Helmercius de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.*

ANIMADVERSIO.

(a) Hercus Monte ab aliis appellatur. Henrici nomen dicitur in baptismo accepisse. *vid. sup. Cap. 84.*

CAPUT C.

*Item de eodem & quodam mirabili facto
cujusdam Balistæ.*

Nullus sufficeret ad plenum perorare, quot modis & quam variis & subtilibus Sambitæ & alii Prutheni castrum Kunnigsbergk sæpius impugnant, sic quod ex utraque parte plures occisi fuerunt & lethaliter vulnerati. Unde accidit una vice, quod Sambitæ cum Exercitū impugnantes dictum castrum, adeo infesti fuerant in hac pugna, quod quidam frater inter alios, qui se ad defensionem opposuerant, coactus fuerit relinquere balistam tensam & effugiens vix evasit, quam balistam quidam Sambita tollens suspendit ad collum suum. Alii circumstantes admirati fuerunt ultra modum, quid esset, quia prius talia non viderunt, & in diversis locis manibus attrectantes, tandem quidam per depressionem resolutâ clave, corda balistæ collum ejus præcidit, ita ut post tempus modicum exspiraret, de quo facto Prutheni balistas valdè de cætero timuerunt.

CAP. CL.

De

*Destructione oppidi Kunnigsberg sitz
in monte S. Nicolai.*

Circa Ecclesiam Parochialem (a) S. Nicolai in monte juxta

Cc 2

Ca-

*Foppo de Osterna VI. Magister Gen. Ord. Teut.
Helmericus de Reichenberge V. Mag. Provincialis Prussiae.*

Castrum Kunnigsberg fratres locaverunt quoddam (b) oppidum, & quia non bene fuit firmatum, supervenerunt Sambitarum improvisè, & captis & occisis pluribus hominibus ipsum penitus destruxerunt. Undè postea translatum fuit (c) in vallem inter Prigoram & Castrum, in eum locum, in quo usque in diem permanet hodiernum.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Hodie est templum Polonicum.
(b) Hodie suburbium est Veteris oppidi diciturque *Steinshamm* / antea verò dicebatur *Konigsberg* simpliciter, ut patet ex Privilegio primo Regiomontanis à Conrado Turberg Juniore Magistro Prussiae Provinciali Anno 1286. concessio.
(c) Hodie dicitur *Palaeopolis* i. e. *Allstadt*.

CAP. CII.

*De
Vastatione Villæ Dramenovv & morte plurium Sambitarum.*

Nemo posset conscribere, & si scriberet vix crederetur, quam solliciti fuerunt fratres in impugnatione Sambitarum, ut eos iterum subjicerent fidei Christianæ; Undè debilitatis & efugatis hic qui in territoriis *Waldovv* *Quedenovv* & *Wargen*, & vicinis locis aliis habitabant, Fratres cum exercitu contra territorium *Pubeten* processerunt & depopulatâ quadam Villâ, dicta *Dramenovv*, captis pluribus & occisis, dum cum magno spolio recederent, hostes insecuti eos, invaserunt, & quasi in fugam converterunt. Sed frater *Henricus Ulenbusch* vir totus animosus ipsis restitit, & adeo viriliter se opposuit, quod alii resum-